

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

XLV.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

suæ rationi libentius auscultant, quam verbis Christi: Verum etiam ubi scripta illa meo opposita perlegeris, me etiam armes & instruas solidioribus argumentis, quibus verior sententia muniri & propugnari solide queat. Cætera cognosces ex Domino Wollfigango, qui ad vos redit pro viduo maritus. Deus æternus pater Domini nostri Jesu Christi author conjugalis societatis plenissimæ vestigiis sapientiæ & bonitatis Dei, fortunet hujus nostri amici omnium bonorum favore dignissimi conjugium. Idem te quoque tueatur & conferet. Data in Electorali domo Liechteberg, 14. die Septembris 1663,

Paulus Eb.

XLV.

S In Domino. Sæpe recordeor, reverende & clarissime vir, jucundissima consuetudinis nostræ, qua Wittebergæ sumus usi, nec eam, quam ibi contraximus, amicitiam, vel loci longinquitate, vel diuturnitate silentii, vel certaminum asperitate, quæ temporum nobis injuria peperit, intercidi se spero. Nam & te semper in recta perstitisse sententia intelligo, & quosdam non ex infimis ad eandem nobiscum redire sententiam, à qua deslexerant, ex editis publice libellis subinde animadverto, tamen nec in illis flagellare nos desinunt: Quod Deo committendum est, modo salva sit veritas. Fiducia porro veteris illius amicitia, & conjunctionis nostræ in doctrina Christi commendo tuæ Excell. meum quandam affinem, Matthæum Felwager, Longicampianum, qui hæc reddet, ac studiorum causa ad vos mittitur, ut commendatior Restori per tuam Excell. fiat. Habet tolerabiles sumptus, quamvis non magnos, sed quos satis fore spero pro mensa, habitatione, libellis & aliis necessariis rebus. Aliquid etiam dabit præceptori, insipienti privatim studia & mores, & ut tali alicui idoneo per tuam quoque Excell. commendetur, valde rogo: Eidem, quod habet modo argentum, statim numerabit, & sumptuum rationem reddet. Constitui etiam ipse, sub ver meum filium ad vos ablegare, aut duos fortasse, si Dominus permiserit, aut Ioculorum ratio in nostra hac tenuitate feret. Itaque omnem rem Longicampianus ad nos scribet, ut sumptuum ratio iniri apud nos possit, an 60. aut 70. flor. in duos per annum sufficiant. Plura ad tuam Excell. de aliis etiam rebus scriberem, sed alia me negocia abripiunt: Interea quædam ex ipso Longicampiano cognosces, quem commendatum habebis. Mittit etiam filium suum noster Illyric. si qua in re opus habebit vestro consilio & auxilio, juvate quæso: Nostra quæ possumus, vicissim officia pollicemur. Bene

cum

A 1563.

PARS TERTIA

157

eum familia vale, vir clarissime, & Galli tui memoriam retine: Salutem
reverenter opto piis collegis tuis. Ratisponæ, 15. Septembris Anno 1563.

Te reverenter colens

Nic. Gallus.

XLVI.

S Gratissimæ mihi fuerunt literæ tuæ, vir reverende & chariss. frater, co-
quod charitatem erga me tuam declarant, & quia de statu vestræ Eccle-
siæ copiose docent. Et quanquam dolet, novum à pacificatione ortum pa-
roxysmum esse, quod opratius fuerit, sancta in Domino *improbia* vos, sicut cæ-
peratis, feliciter conjunctos permanere: Spes tamen est, eum ipsum, qui ex-
citatus est motus, ad certum Ecclesiæ bonum exiturum, DEI optimi benefi-
cio, qui ejusmodi æstus in perscrutabili consilio regit ac temperat. Adparet
autem aliquid *versari* resedisse in Zanchi animo, quod manifestavit tempus.
Ceterum quod Gallicanam Ecclesiam attinet, placet datum abs te & Con-
ventu consilium, ut quod ad cavenda schismata rectè comparatum videtur
& prudenter. Seniores tamen possent meo judicio concedi, ad disciplinæ
conservationem, modo ei Senatui pastor Flinerus cum Diaconis suis interfit,
et si arbitror, ægre diaconum ecclesiæ ejus ministrum, qualem requiris, re-
periri posse, & conditiones vix admissuros Gallos, quamlibet pias & decen-
tes. Equidem propter Galliæ regnum, maximopere velim, talem Ecclesiæ
gallicanæ formam apud vos constitui, quo inde aliquando, veræ doctrinæ
feminaria, & Reformationis forma moderatioris, propagaretur ad externos,
& simul aleretur animorum conjunctio, ex professionis & ceremoniarum
conformitate. De Ecclesiæ nostræ statu nihil possum novi scribere, idem
is est, qui hactenus, non quidem qualem per omnia vellemus, sed tolerabilis
tamen, facimus pro virili officium, præstamusque Christo infirmum mini-
sterium, pacemque, quantum in nobis est, fovemus cum omnibus. Præcor
te, vir reverende, ut nos tuis sacris precibus juvare assidue velis, ac symmistas
tuos optimos & doctiss. viros, Sturmium item & reliquos Professores, meis
verbis amanter & reverenter salutare. Bene vale in Christo JESU cum uxore
& totaque familia. Scripsi Basil. 4. non. Octob. an. 63.
Resalutat te D. Coccius officiosiss.

T. totus ex animo

S. Sulcerus.

XLVII.

U 3